


Alia Demonstratio ejusdem.

SIt chorda major hypate, Nete verò sive Octava G. minor subdupla chordæ majoris : sit autem chordæ hypates spacium quo vibriffata chorda currit & recurrit, Netes verò spacium F G. prioris sub duplum , habebítque se ut chorda ad chordam, sic spacium quod percurrit ad spacium. Ponamus igitur



Diapason
quomodo
in dupla
propor-
tione con-
sistit.

has chordas simul uno & eodem tempore incitari in B. & F. curret igitur utraque chorda ex B & F. illa quidem in S. hæc in G. at minor in S. perveniens ibi veluti terminum motionis suæ consecuta ex percussione aëris sonum causabit chorda B C. in S. C. utpote à termino C. tantum adhuc remota, quantum ex B. in S. confecit, silente, mox tamen ubi in C. pervenerit, ibi ex aëris percussione sonabit; sed minor chorda interim ex G in F. æquali tempore & spacio cum chorda B C. ex S in C. currente remeans, eodem quoque tempore in F. altero cursûs sui termino resonabit, dum chorda B C in C. resonat. Fiet igitur hîc prima sonorum utriusque chordæ unio, quæ toties continget, quoties chorda tremebunda B C. aërem ferierit, cum prætereà chorda minor bis suum spacium percurrat, dum chorda major spacium B C. semel; necessariò duplo quoq; celerius aërem feriet chorda minor quàm major, & consequenter acutiùs sonabit, frequentique vibrationum unione ob magnum auditorium, ita & spiritus vitales suaviter afficiens eam, de qua diximus, delectationem (qui primus harmoniæ gradus est) in anima efficiet. Unde in chordis æqualiter extensis, cum percussio aëris in utraque chorda æquali tempore ac spacio contingat, unisonus causabitur, qui ita se habet ad harmoniam, ut unitas ad numerum, sive punctum ad lineam, unde & harmonicus propriè dici non potest, sed & Diapason omnium consonantiarum suavissima est, quia unio sonorum gravis & acuti perfectè mistorum frequentius quàm in ullis aliis consonantiis contingit, cum unum solum minor chorda sonum habeat, qui non uniatur majori chordæ, reliquæ verò consonan-

tia